

1275, març, 26

Ramon Roig, cavaller, marmessor d'Ermessendis de Portella, defineix per 200 sous a Cecília de Foixà, priora i infermera de Sant Daniel, els drets de la marmessoria sobre 34 marcs d'argent que hom deia que eren de dita Ermessendis, pels quals l'infermeria de Sant Daniel havia comprat el 1236 el capmàs Renau de Salitja.

ASD, núm. 229, perg. orig., 315 x 295 mm.

Sit omnibus notum quod ego Raimundis Rubei miles, manumissor et executor testamenti uenerabilis domine Ermessendis de Portella olim deffuncte, auctoritate dicte manumissorie ex parte mea et aliorum comanumissorum meorum, gratis et spontanea uoluntate diffinio, dono et cedo uobis Cecilie de Fuxano, priorisse et infirmarie monasterii Sancti Danielis et officio ipsius infirmarie in perpetuum omnes acciones reales et personales que mihi et aliis comanumissoribus competunt et competere possunt uel debent aliquo iure seu causa auctoritate dicte manumissorie contra monasterium supradictum et contra officium predictae infirmarie in triginta quatuor marchis argenti que dicebantur fuisse dicte domine Ermessendis et de quibus fuit emptus caput mansus et totus honor spectans ad dictum caput mansum et plures alii honores et possessiones contente in instrumento dicte empcionis, que possessiones sunt in parrochia Sancte Marie de Salija per Berengariam de Palaria condam infirmariam monasterii supradicti a Bernardo Renalli et Berengaria eius uxore uenditoribus omnium predictorum prout in instrumento dicte empcionis quod fuit factum per Guilielmum Guardierii et subscripto per Bemardum Stephani canonicum et publicum Gerunde notarium .xnn. kalendas ianuarii anno Domini millesimo .ccxxx. sexto plenius et largius noscitur contineri, extrahendo et eiciendo auctoritate dicte manumissorie totum ius mihi et aliis comanumissoribus competens in dictis .xxxrm. marchis argenti uel ratione predictorum et in dicto capite manso et in aliis honoribus et possessionibus supradictis et in uestram et uestrorum succesorum tenentium officium dicte infirmarie potestatem et dominium eadem irreuocabiliter transferendo. Dando et cedendo ex parte mea et aliorum comanumissorum uobis dicte priorisse et infirmarie et uestris successoribus in eternum in predictis omnibus et singulis totum ius mihi et aliis comanumissoribus competens et locum et uoces et raciones et acciones reales et personales, utiles et directas ad habendum et tenendum omnique tempore possidendum ad- omnes uestras uestrorumque uoluntates ibi et inde perpetuo faciendas sine aliqua retentione quam in predictis non facio neque saluo mihi nec aliis comanumissoribus ullo modo. Et promito uobis quod ulterius pro dictis .xxxnn. marchis argenti uobis aut officio dicte infirmarie ego nec alii comanumissores nullam petitionem uel demandam moueamus neque moueri faciamus set uos et dictum infirmarie officium et quoscumque uolueritis dictum caput mansum cum omnibus suis possessionibus et pertinenciis et cum aliis etiam possessionibus habeatis et teneatis ad uestras uestrorumque uoluntates omnimodas inde perpetuo faciendas. Et propter diffinitionem et donacionem huiusmodi fateor me a uobis recepisse et penes me habuisse nomine meo et aliorum comanumissorum ducentos solidos monete barchinonensis de terno, renunciando non numerate et nori solute mihi peccunie exceptioni; et si amplius pro hac donacione et

diffinitione habere a uobis debemus totum illud gratis et ex certa sciencia ex parte mei et aliorum comanumissorum uobis dono et remito in remissionem peccatorum dicte domine Ermessendis, renunciando expresse illius legis auxilio per quam deceptis ultra dimidiam subuenitur et restitutioni in integrum et omni alii iuri scripto et non scripto omnique auxilio legum et decretorum contra predicta in aliquo repugnanti.

Quod est actum .vn. kalendas aprilis anno Domini millesimo .CCLXX. quinto.

Sig+num Raimundi Rubei, manumissoris predicti, qui hoc firmo et concedo. Testes huius rei sunt Berengarius de Cestella, clericus Gerunde et Guilielmus de Clota clericus Sancti Felicis Gerunde. (s. man.) Geraldi Moreni manumissoris qui hoc firmo et concedo*. (s. man.) Ferrarius clericus de luyano, maumissoris qui hoc firmo et concedo*.

Sig(s. man.)num Michaelis de Ulmo, qui hoc scripsi mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. (s. man.) Raimundus de Caciano, tenens locum Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 476-477